



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

12. Sollicitudinem ac zelum animarum evelli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

Sed iam advertat lector quam accurate ^A questus illos de exhortatione per prædeterminationem refrigerata recentioribus Massilienses præformaverint: Nam si sic prædestinati sunt, inquit Massilienses apud Hilarium querelas eorum exponentem Augustino, ad utramque partem, ut de alijs ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia? Et Prosper ad Augustinum scribens: Nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitantia non habeant. Et apud Augustinum eorum verba sibi refutanda proponentem, Neminem, inquit, posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesia audientibus multis: Ita se habet de prædeterminatione definita sententia voluntatis Dei, ut alij &c. Itaque Prosper sciens esse imperitorum hominum inanes voces, & levi statu Augustini dispiciendas, movet ei questionem: Quomodo per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles sunt, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, nec eorum, qui cohortandi sunt, impediatur, nec occasionem negligentia habeas, si se prædestinatos esse desperent.

Hil. epist. ad Aug.
Prosper. Epist. ad Aug.
Aug. lib. de dono persever. c. 17.
Prosper. ibid.

NOTA XII.

Sollicitudinem ac zelum animarum exelli.

Eiusdem farinae est & alia querimonia recentiorum, quod per istam sententiam non solum vigor exhortationibus & correptionibus, sed etiam sollicitudo & zelus lucranda animabus impendendus ex hominum pedibus tolleretur. Videtur, inquit Lessius, tollere zelum animarum. Si enim omnes salvandi ante omnem provisionem, sunt iam absolute electi & præfinitur de illorum salute sum sollicitus? Nam etiamsi ego quiescam, neque bene omnes illi & soli salvabuntur &c. Et similia plura in hanc sententiam contextit.

Less. de pred. sect. 2. m. 13.

Sed audi similes apud Augustinum querimoniae: Non argumentemur contra ista præcepta, querendi salutem proximorum per correptiones, hortationes, excommunicationes, &c. salubramque terrorem dicentes: Et corrumpant bonos mores colloquia mala; & pereat infirmus, quid ad nos? Firmum fundamentum Dei stat: & nemo perit, nisi solum perditionis: hoc est, prædeterminatio electorum firma & immutabilis est; & qui perierit, iam olim perditioni prædestinatus est. Audi jam Lessi & quisquis huiusmodi argutias refrigerando zelo alienæ salutis tibi prætexis: Absit ut ista garrientes securos nos in hac negligentia esse debere credamus. Quod pluribus ibidem agit. Et ista quidem obiectio non in illo libro eundem à Massiliensibus Augustino preposita fuit, sed Prosper testis est, Augustino loquens: Quicquid in libro hoc (de correptione & gratia) ex contradicentium sensu sanctitas tua sibi opposuit, hoc totum ab istis sanctis (Massiliensibus presbyteris) intensiosissime, fortè, contentiosissime, convitaturum fuisse.

Prosper. Epist. ad Aug.

NOTA XIII.

Deum non velle omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.

Sed adhuc contextunt graviora, non modò adversus homines, sed etiam adversus ipsum Deum, quem multis quoque modis, quemadmodum & Massilienses reprehendi posse murmurant. Et primo quidem apertissime arbitrantur sequi, quod Deus non velle omnes homines salvos fieri, sicut Apostolus docet. Hic videtur, inquit Lessius, electioris non videtur satis considerari, eorum sincera voluntate salvandi omnes homines, maxime fideles; neque cum illo amore, & illa cura, quæ omnes ad salutem excitat, que Scriptura tantopere commendat. Quod fusc tractat & exaggerat. Nec signius Molina hoc ipsum agit: Certe si is fuit modus prædeterminationis quodam adultos, non item alios, qui ex horum auctororum sententiâ iuxta suas præsumptiones relatus est, non video quâ ratione verum sit, Deum velle omnes homines salvos fieri, si per ipsos non fuerit.

Lib. de præd. sect. 2. rat. 3.
Mol. q. 16. m. 2. 2.
Mol. q. 16. m. 2. 2.

Eadem ista decantatissima Massiliensium & Pelagij & omnium Pelagizantium cantilena adversus eandem absolutam prædeterminationem fuit. Nam in objectione Clavæ, quam isti Galli Prospero & Augustino inieperunt, clamitant, quod in Augustini sententiâ, non omnes homines Deus velit salvos fieri, sed certam numerum prædeterminat. Et in Epistolis ad Augustinum scriptis eadem tacite reficitur. Unde sanctus Prosper Massiliensium & simul recentiorum objectionem propter falsitatis & absurditatis evidentiam quasi irridens: Et tibi est illud, quod nobis quasi contrarium à non intelligentibus semper opponitur, quod Deus omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire & Probat itaque duobus illud capitibus præberelatus, & ex parte auctororum, qui à præteritis generationibus usque in hoc tempus, sine Dei cognitione perierunt; & ex parte parvulorum quorum plurimi sine baptismo pereunt: Numquid, inquit, non sunt de omnibus hominibus &c.

Obiect. 3. Gal. 2. 2. Prosper.

Prosper. Epist. ad Aug.

NOTA XIV.

Christum non pro omnibus esse mortuum, nec omnium redemptorem esse.

Ad idem aliud sequi non minus impium, quam præcedens, Christum non pro omnibus esse mortuum, nec omnium hominum fore redemptorem. Unde Molina probat, Deum omnes omnino homines velle salvos fieri, quia Christus omnibus in redemptorem datus est: hoc ipso indicans, non fore datum in redemptorem omnibus, si Deus nollet omnes omnino salvos fieri, sed eos dumtaxat, quos pro suo beneplacito absque operum respectu ad vitam delegisset. Et Gregorius de Valentia inter cetera absurda ex ista sententiâ consequentia reponit ut Christus non pro salute omnium omnino hominum mortuus sit, vel certe Christus sit.

Mol. q. 23. a. 4. c. 1. disp. 1. membr. 8.

Disp. 1. q. 22. punct. 4. prob. 6.

Expressa